

No. 101. 1341. 24. Nov.

*Das Kloster Bosau errichtet eine geistliche Brüderschaft mit dem Thomaskloster.*

Praedilectis suis in Christo fratribus ac honorabilibus domino Nicolao praeposito necnon domino Martino priori totique conventui canonicorum regularium in Lipze Cunr. abbas, H. prior totusque conventus coenobii Puzaiensis pacem et salutem in domino sempiternam. Devotionem quam ad ordinem nostrum ob dei reverentiam et amorem didicimus vos habere affectu sinceræ caritatis acceptantes ac eidem devotioni vestrae vicissitudinem cupientes rependere salutarem, vos ad universa communitatis nostrae suffragia tam in vita quam in morte recipimus plenam vobis participationem missarum orationum vigiliarum ieiuniorum castigationum ac omnium aliorum bonorum praesentium tenore salubriter concedentes, quae per nos operari dignabitur clementia salvatoris. Ad haec cum obitus quorumcunque vestrum nostri conventus capitulo fuerit nunciatus, pro illis fiet quicquid pro quocunque defuncto nobiscum fieri communiter est consuetum. De speciali gratia cuique vestro ad nos sicut uni nostrorum praebenda ministretur copiose quibuscunque negotiis divertenti. In cuius astipulationem praesens scriptum sigillorum nostrorum appensione dedimus communitum. Datum anno domini M°.CCC°.XLI°. VIII°. Kal. Decembris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Von den drei an Pergamentstreifen befestigt gewesenen Siegeln ist nur ein Bruchstück des an dritter Stelle angebrachten erhalten.

No. 102. 1342. 20. Febr.

*Bürgermeister und Rath stellen ein Zeugniß über die Abgabenverhältnisse einer dem Kloster gehörigen Hofstelle aus.*

Nos Johannes de Mockowe magister consulum necnon Johannes dictus de Ylebure, Nycolaus Lamperti, Johannes de Beringershayn, Henricus Kregenbere iunior, Johannes de Merica iunior, Johannes de Pesna, Reynoldus carnifex, Otto de Lobenycz, Henricus Hallis, Henricus Ysenberch, Nycolaus iunior de Rûchow consules civitatis Lypzk tenore praesentium recognoscimus publice protestantes, quod domini regulares canonici monasterii sancti Thomae apostoli ab area ipsorum sita inter curiam suam et curiam Johannis dicti de Beringershayn tenentur civitati tantum videlicet solummodo exactionis quantum de quatuor marcis usualibus pro tempore communiter debuerit ministrari, ita quod quicumque aream huiusmodi ab ecclesia possederit si negotiationes in civitate exercuerit, tunc de rebus mobilibus non autem de area parere deberet iuri consuetudinario civitatis, si vero saepe dictam aream alicui personae saeculari et pro cive gerere se volenti cum omni iure quod in eadem habere videntur libere vendiderint ab ecclesia penitus alienando, extunc ad eundem et non ad ecclesiam respectum habebit civitas exactionis saepius memoratae. In